

## CONSTITUTIONES

### CONGREGATIONIS CISTERCIENSIS SANCTAE FAMILIAE IN VIETNAM

#### INTRODUCTIO

*“Religiosi sequelam Christi in Evangelio propositam, et in Constitutionibus proprii instituti expressam tanquam supremam vitae regulam habeant.”* (Can. 662) Ita clare apparet maximum momentum Constitutionum pro omni genere vitae consecratae.

Constitutiones Congregationis Cisterciensis Sanctae Familiae in Vietnam, inde ab initio usque hodie longam evolutionem subeunt.

Ipse Fundator Congregationis, R. P. Henricus D. Benedictus THUẬN primum fundamentum posuit per Constitutiones quas ipse exaravit feliciter adaptans essentialia vitae monasticae cum conditionibus vitae in Vietnam necnon cum elementis culturalibus. Quas Constitutiones deinde, anno 1933, ipse revisit ut fieret incorporatio novae foundationis monasticae cum Ordine Cisterciensi.

Post Concilium Vaticanum II, capitulum speciale Congregationis adlaboravit inde ab anno 1969 ad 1972 ad revisionem textus Constitutionum.

Deinde post publicationem novi Codicis juris Canonici (1983) ultima adaptatio textus facta est. Textus Constitutionum Congregationis Sanctae Familiae, necnon Constitutionum Monasterii monialium Cisterciensium de Vĩnh Phước, Sanctae Sedi insimul praesentantur ut approbentur.

Nunc textus harum Constitutionum tradentur membris Congregationis uti sicuram vitae regulam quae certo multum eos juvat in Dominici servitii Schola quae a traditione Cisterciensi merito consideratur etiam uti Schola caritatis et Schola Spiritus Sancti qui nunc parat et ducit Ecclesiam ad novum millennium.

*Apud Abbatiam B.M.V. Phước-Son  
die Pentecostis 31-5-1998*

**F.M. Joannes LÂM**  
**Abbas praeses**

***PARS PRIMA***  
**DE NATURA ET FINE**

- 1** Congregatio Cisterciensis Sanctae Familiae, quae originem ducit a fundatione monastica a Pl. Reverendo Patre Benedicto Henrico Denis Thuận die 15 Augusti 1918 in Vietnam facta et Ordini Cisterciensi per Decretum S. Sedis diei 24 Maii 1934 aggregata, canonice erecta est per Decretum S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 6 Octobris 1964.
- 2** Finis specialis Congregationis est :
  - §1. Offerre animabus, quae ad vitam contemplativam vocatae sunt, media apta ad perfectam caritatem assequendam.
  - §2. Ecclesiae servire per orationis et poenitentiae vitam, collaborando salutem animarum omnium qui Deum nondum cognoscunt et colunt.
- 3** Vita monastica in Congregatione ducitur secundum principia evangelica in doctrina Ecclesiae, in Regula Sancti Benedicti, in elementis essentialibus vitae Cisterciensis exposita, necnon in istis Constitutionibus ratione habita etiam spiritus Fundatoris determinata.

***PARS SECUNDA***  
**DE STRUCTURA**

**TITULUS PRIMUS**  
**DE STRUCTURA MONASTERII**

***CAPUT PRIMUM***  
**DE ABBATE**

- 4** Quidquid in his Constitutionibus et in decisionibus Capituli Congregationis aut Capituli Ordinis de abbatibus dicitur, valet etiam de aliis superioribus majoribus actu regimen exercentibus, nisi aliud expresse constet<sup>1</sup>.
- 5** Abbas monasterium suum gubernat ejusque administrationis spiritualis necnon temporalis rationem reddere debet<sup>2</sup>.
- 6** Abbas e capitulo monachorum eligitur per secreta suffragia, praesidente patre immediato aut abbate praeside, secundum casum (n. 44, 4), juxta rituale Congregationis.
- 7** Pro electo habetur is, qui duas ex tribus suffragiorum partibus obtinuerit. Post scrutinium tertium, si nemo requisitum suffragiorum numerum retulerit, habeatur quartum in quo majoritas absoluta sufficit sed vocem passivam habent tantum illi duo qui in tertio scrutinio relative majorem partem suffragiorum retulerunt, qui tamen se a ferendo suffragio abstinere debent (cf. Can. 119, 1). In casu paritatis suffragiorum in quarto scrutinio, habetur electus qui ordine in communitate senior recensitur (n. 109).

---

<sup>1</sup> COC 34, 2

<sup>2</sup> CIC 596, 1 et 618

- 8** Abbas et prior conventualis ad sex annos eliguntur. Ambo reeligi possunt usque ad expletum septuagesimum annum aetatis.
- 9** In electo requiritur ut sit :
- Triginta quinque annos natus,
  - monachus sacerdos,
  - in Congregatione professus decem saltem annos a votis solemnibus<sup>3</sup>.
- 10** Ante acceptam confirmationem neo-electo munus exercere non licet<sup>4</sup>.
- 11** Justa ex causa, audito communitatis consilio, pater immediatus aut abbas praeses secundum casum (n. 44, 4) differre electionem potest et superiorem administratorem nominare; cujus tempus non ultra tres annos est, nisi a Capitulo Congregationis aliter decisum est.
- 12** Abbas vices Christi gerens, communitati servit, ideo cum propter infirmitatem vel quamcumque causam officium suum efficaciter exercere nequit, tenetur munus suum sponte deponere. Auctoritates competentes vere affirmato causae statu, interveniant, si necesse est, ut communitatis utilitas illius asservetur.
- 13** Quando unus in abbatem eligitur pro monasterio, quod non est domus in qua votum stabilitatis emisit, ipsa electionis acceptance, votum stabilitatis mutatur.
- 14** Expleto muneris tempore, abbas vel prior unum monasterium in Congregatione eligere potest ut habitet, servatis de jure servandis, supposito consensu abbatis atque **consilii abbatis** domus ubi vult morari. Subditus est superiori domus, in quam venit ; si abbas est, post abbatem domus stare potest.
- 15** Superior administrator, expleto muneris tempore in domum in qua vota emisit, redeat, et sequitur communem ordinem in communitate.
- 16** Ante tres menses faciat superior certiores superiores competentes de temporis sui muneris extinctione.
- 17** Grave ob delictum, deponi potest abbas. Ad depositionem abbatis faciendam, requiruntur binae tertiae suffragiorum capituli Congregationis aut consilii administrationis Congregationis. Postquam depositus sit, ordinem pristinum suum in communitate retineat, nisi ab auctoritate competente aliter statutum esset.
- 18** Post mortem aut temporis muneris extinctionem, sive abdicationem, sive depositionem abbatis, auctoritas competens provideat ut eligatur successor in spatio ad minus quindecim dierum, ad summum autem trium mensium justo impedimento cessante.
- 19**
- §1. Absente abbate, gerens vices ejus prior claustralis, et vacante sede abbatis, omnium curam rerum in monasterio habeat, exceptis quae ad jus superioris majoris respiciunt.

---

<sup>3</sup> CIC 623.

<sup>4</sup> CIC 179, 4

- §2. In gubernio monasterii abbas adjuvatur a **capitulo conventuali et a consilio abbatis**, quorum sententiam exquirere debet ad normam juris universalis et harum Constitutionum.

## ***CAPUT SECUNDUM***

### **DE CAPITULO CONVENTUALI**

- 20.** Capituli conventualis membra sunt: omnes sollemniter professi qui votum stabilitatis in communitate emisierunt.

- 21.** Capituli conventualis votatio deliberativa in sequentibus casibus valet:

§1. in admissione ad professionem solemnem.

§2. in admissione ad votum stabilitatis.

§3. in promotione ad ordines sacros.

§4. in fundatione domus novae aut in translatione et suppressione monasterii vel domus ab ipso dependentis.

§5. in receptione hospitis ultra annum

§ 6. In receptione familiaris ultra annum et oblatis;

§ 7. in praestito petendo, in contractu ineundo, in alienatione vel in emptione peragenda, in aedificatione vel in reparatione magni momenti facienda, ultra summam a capitulo conventuali statutam.

§8. in exclusione pro tempore determinato unius membri indigni a capitulo conventuali.

- 22.** Capituli conventualis consultatio fiat in quaestione magni momenti, quandocumque existimat abbas hoc licere.

## ***CAPUT TERTIUM***

### **DE CONSILIO ABBATIS**

- 23.** Membrum consilii abbatis est monachus sollemniter professus cum voto stabilitatis in monasterio.

- 24.** Media pars membrorum consilii abbatis ab ipso abbate nominatur, media autem pars a capitulo conventuali eligitur.

§1. Si numerus membrorum monasterii numerum viginti monachorum non attingit, membra consilii abbatis sunt quattuor; si numerus est inter viginti et quadraginta sunt sex; si numerus est inter quadraginta unum et sexaginta sunt octo; si numerus superat sexaginta sunt decem.

§2. Consilium abbatis ad triennium constituitur.

§3. Abbas unum consiliarium substitutum, capitulum conventuale vero alterum substitutum eligit, quorum mandatum non superat terminum aliorum consiliarorum.

**25.** Consilio reservatur deliberativa votatio in casibus sequentibus:

- §1. in admissione novitii ad professionem temporariam.
- §2. in praesentatione candidatorum ad ordines sacros vocationi capituli conventualis.
- §3. in delegatione danda ad extraordinarium negotium magni momenti explendum.
- §4. in receptione hospitis ultra semestre.
- §5. in propositione unius casus per vocationem deliberativam capituli conventualis decidendi.
- §6. in exclusione pro tempore determinato unius membri indigni a consilio.

**26.** Consilium consuli debet :

- §1. in admissione postulantis ad novitiatum.
- §2. in progogatione aut diminutione temporis postulatus vel novitiatus aut professionis temporariae ad normam juris universalis et harum Constitutionum.
- §3. in conferendis ministeriis lectoris et acolythi.

**27.** Ut decidatur aliquid negotii absoluta majoritas, nullis demptis, suffragiorum sufficit, nisi aliud expresse jure statutum fuerit.

**28.** Peracto deliberativo scrutinio, abbas una simul cum priore et subpriore diribeat, deinde abbas vocationis effectum publice annuntiet. Sed in casu consultationis si fuit votatio consultativa, effectum pronuntiare non tenetur abbas.

**29.** Quidquid in sessionibus sive capituli conventualis, sive consilii decretum est, in libro actuum capituli a secretario referatur, qui ab abbate et duobus officialibus monasterii subscriptus, in archivio monasterii reservetur.

## **TITULUS SECUNDUS DE STRUCTURACONGREGATIONIS**

### ***CAPUT PRIMUM* DE MEMBRIS CONGREGATIONIS**

**30**

- §1. Monasteria quae Congregationem constituunt inter se uniuntur ut, sub vigilantia auctoritatis abbatis, vita spiritualis et observantia in eis uberius floreant, mutua auxilia in necessitatibus praestentur et munera, quae Ecclesia a Congregatione exoptulat facilius peragantur.
- §2. Congregatio et ejus singula monasteria personae juridicae, collegialis figuram induunt ideoque sunt subjectum officiorum et jurium et bona possidere et vindicare valent.

### 31

Congregationem Sanctae Familiae constituunt:

- §1. Monasterium de Phuoc-Son, monasteria ab eodem fundata et quae a praedictis in futuro fundantur;
- §2. Alia monasteria, quae incorporari rogant, dummodo has Constitutiones acceptant.
- §3. Congregationi praeterea pleno jure incorporantur monasterium Monalium B.M.V. de Vinh Phuoc et fundationes ab eo factae, quae tamen constitutionibus propriis reguntur.

### 32 Monasteria Congregationis esse possunt:

- §1. Sui juris domus et sunt abbatiae vel prioratus conventuales;
- §2. Dependentes domus a monasteriis sui juris et sunt prioratus simplices vel residentiae.

### 33

- §1. Abbatia ab abbate gubernatur, prioratus sui juris a priore conventuali, prioratus simplex vero et residentia a superiore ad nutum superioris majoris competentis.
- §2. Abbati et priori conventuali competunt jura et obligationes superioris majoris ad normam canonum et Constitutionum harum<sup>12</sup>.
- §3. Prior administrator, ob graves rationes, nominatur ab illo cui Constitutiones hoc jus tribuunt, consulta semper Communitate.
- §4. Superior prioratus simplicis et residentiae regit domum suam pro tempore a superiore majore determinato<sup>13</sup>.

### 34.

Praeter ea quae in Constitutionibus Ordinis statuta sunt, monachorum numerus uniuscujus familiae monasticae pro categoria sic decernitur:

- §1. In abbatia adsint saltem tredecim monachi.
- §2. In prioratu sui juris, saltem novem monachi.
- §3. In prioratu simplici, ad minus sex monachi .
- §4. In residentia, saltem tres monachi<sup>14</sup>.

### 35.

Ad novam fundandam domum tenentur conditiones sequentes :

- §1. Adsint conditiones materiales, quae necessitatem vitae communitatis sustentare possunt.
- §2. Speratur quod accipiantur postulantes ad consolidandam monasticam vitam necnon accrescendam.

---

<sup>12</sup> COC 21, 1; CIC 622

<sup>13</sup> COC 21, 5

<sup>14</sup> COC 21, 5

§3. Geographicus situs est aptus ad monasticum spiritum asservandum.

§4. Requiritur Ordinarii loci consensus in scriptis datus.<sup>15</sup>

§5. Ab istis requisitis nec capitulum Congregationis dispensare potest.

§6. Ad fundendum monasterium novum et ad erigendum domum in monasterium sui juris requiritur consensus capituli Congregationis.

**36.**

In Congregatione potest annui et adjuvari aliqua asceticae vitae forma a Spiritu Sancto inspirata v.g. vita eremitica. Abbas respectivus una simul cum superioribus competentibus Congregationis pro unoquoque casu prudenter discernat.

**37.** Novae domus quae sunt prioratus simplices vel residentiae, donec in domos sui juris erigantur, subduntur jurisdictioni superioris majoris, qui eas fundavit, nisi capitulum Congregationis justam ob causam aliter statuatur.

**38.** Omnia monasteria (omnes ecclesiae) Congregationis in honorem Beatissimae Deiparae fundentur et dedicentur.

## ***CAPUT SECUNDUM***

### **DE DOMO MATRE**

**39.**

In Congregatione, juxta traditiones Cistercienses, viget lex filiationis, ita ut monasterium quod aliud fundat domus mater et monasterium fundatum domus filia sunt et vocantur. Abbas autem monasterii fundatoris est relate ad domum filiam Pater immediatus.

**40.**

Pater immediatus habet jus et officium :

§1. Fovendi spiritualem et materiale vitam domus-filiae.

§2. Constituendi aut mutandi superiorem domus-filiae usque dum haec domus sui juris fiat.

§3. Assumendi per interim justam ob causam, officium superioris domus-filiae usque dum haec novum superiorem habeat, si situatio talis est quod neque nominatio prioris administratoris possibilis erit.

§4. Praesidendi superioris domus-filiae electioni necnon electum confirmandi.

§5. Visitandi omni biennio per se aut per delegatum domum-filiam<sup>16</sup>.

---

<sup>15</sup> CIC 609, 1

<sup>16</sup> CIC 628

§6. Habent relationem cum omnibus religiosis domus-filiae per litteras nemini inspiciendas.

**41.**

Pater immediatus ab electoribus domus-matris et ab omnibus superioribus omnium domorum-filiarum eligitur.

### ***CAPUT TERTIUM*** **DE ABBATE PRAESIDE**

**42.**

Extra capitulum Congregationis, abbas praeses in Congregatione supremi moderatoris obtinet potestatem quam exercet secundum praescripta harum Constitutionum<sup>17</sup>.

§1. Congregationi consulat ad leges et disciplinas obtemperandas et iudicat problemata ad potestatem suam pertinentia.

§2. Est repraesentator Congregationis apud auctoritates ecclesiasticas et civiles in negotiis ad Congregationem referentibus.

**43.**

§1. Abbas praeses a Capitulo Congregationis et ab electoribus domus-matris de Phuoc-Son eligitur.

§2. Acceptatione electionis electus plenum jus statim obtinet<sup>18</sup> et ipso facto fit abbas Monasterii B.M.V. de Phưóc-Son.

§3. Conditiones aliae et ritus electionis, excepto proprio, eadem sunt ac pro electione abbatis<sup>19</sup>.

**44.**

Abbatis praesidis jura et officia haec sunt:

§1. Convocare capitulum Congregationis eique praesidere.

§2. Tradere relationem de statu Congregationis simulque reddere rationem administrationis suae capitulo Congregationi<sup>20</sup>.

§3. Peragere visitationem regularem omnium monasteriorum Congregationis omni triennio<sup>21</sup>.

§4. Retinere quoque potestatem tuendi et fovendi monasterium quod Patrem immediatum non habet.

§5. Admittere mutationem stabilitatis voti in Congregatione<sup>22</sup>.

§6. Solvere a votis temporariis ad normam juris<sup>23</sup>.

---

<sup>17</sup> CIC 622; COC 36.                      <sup>19</sup> cf. n. 6-9

<sup>18</sup> CIC 178

<sup>20</sup> COC 40                      <sup>23</sup> CIC 688, 2

<sup>21</sup> COC 38                      <sup>24</sup> CIC 1438, 3

<sup>22</sup> COC 27



§7. Judicare omnes causas ad suum tribunal translatas<sup>24</sup>.

§8. Audire confessionem subditorum in Congregatione, qui sponte sua petant<sup>25</sup>.

§9. Mittere relationem de statu Congregationis, tempore a jure determinato, ad capitulum generale<sup>26</sup>.

45. Abbas praeses jus ferendi propriam legem non habet quando tamen urget necessitas, statuere aut dispensare aliquid potest<sup>27</sup>.
46. Abbas praeses de bonis et de personis cujuscumque communitatis immediate disponere non potest absque consensu superioris vel capituli conventualis respectivi.
47. Capitulum Congregationis ex abbatibus unum ejusque substitutum eligit, qui praesidem supplebit; vacante sede vel ipso impedito, capitulum Congregationis convocabit ad eligendum novum praesidem et ipsi praesidebit.

### *CAPUT QUARTUM*

#### **DE CONSILIO ADMINISTRATIONIS CONGREGATIONIS**

48. Consilium administrationis Congregationis abbatem praesidem adjuvat ad Congregationem gubernandam in judicando problemata magni momenti extra capituli Congregationis tempus.
49. Consilium administrationis Congregationis constituunt abbas praeses et omnes superiores majores qui actu munus exercent.
50. ... (« qui magno impedimento astrictus, ad consilium administrationis venire nequit, priorem suum vel alium monachum cum jure suffragii deliberativi, mittat »)
51. Consilium administrationis jus suffragiorum deliberativum ferendi habet in his quaestionibus:
  - §1. Decisio causae, quaestionis et casus a Capitulo Congregationis ad consilium remissorum.
  - §2. Decisio in rebus magni momenti ad totam Congregationem attinentibus quae ad tempus capituli Congregationis differri non possunt.
  - §3. Acceptatio renuntiationis officii abbatum, eorumdem depositio gravem ob causam et urgentem.
  - §4. Acceptatio abdicationis unius membri consilii administrationis aut ejusdem depositio ob gravem causam.
  - §5. Convocatio capituli extraordinarii Congregationis.
- 52.

---

<sup>25</sup> CIC 630, 4

<sup>26</sup> COC 41

<sup>27</sup> COC 39

Quotannis in loco et tempore determinato consilium administrationis celebratur. In casu particulari, audito suo consilio, abbas praeses sessionem extraordinariam convocare potest.

## ***CAPUT QUINTUM*** **DE CAPITULO CONGREGATIONIS**

**53.**

Capitulum Congregationis uti organum centrale deliberationis fraternae, legislativum et iudiciale est suprema Auctoritas in Congregatione<sup>28</sup>.

**54.**

Capituli Congregationis membra sunt:

§1. Omnes abbates et superiores majores actu munus exercentes.

§2. Delegati monasteriorum, qui sint professi solemnes, eo modo ut unumquodque monasterium sui juris unum monachum ad capitulum mittit eligendum a capitulo **conventuali**, in quo partem habent etiam professi temporarii cum voce tantum activa. Si vero monasterium plus quam viginti quinque professos habet sive solemnes sive temporarios tot monachos mittit eodem modo eligendos quoties habetur numerus viginti quinque profesorum. Eodem tempore, substituti delegatorum eligantur.

**55.**

Capitulo Congregationis competunt jura consequentia:

§1. Ferre leges totam Congregationem obligantes, aut accommodare sive reprobare unam legem, salvis his Constitutionibus.

§2. Eligere abbatem praesidem simul cum capitulo **conventuali** Monasterii de Phuoc-son.

§3. Eligere membra consilii administrationis Congregationis eorumque officii administrationem observare.

§4. Acceptare renuntiationem a munere abbatis praesidis aut aliorum abbatum, atque eos, si opus sit, servatis de jure servandis, ab officio remove<sup>29</sup>.

§5. Quoad expensas et alienationes faciendas, obligationes et debita contrahenda necnon alia negotia summam statuere ultra quam consensus consilii vel capituli monasterii, consilii vel ipsius capituli Congregationis requiritur ad normam juris universalis<sup>30</sup>.

§6. Statuere de bonis eaque partiri monasterii in Congregatione extincti, aut alicui monasterio incorporati, salvis justitiae legibus, pro unoquoque casu<sup>31</sup>.

§7. Judicare controversias aut lites in Congregatione factas et ad suum tribunal delatas.

§8. Suspendere quaedam jura et privilegia abbatiae vel prioratus conventualis, si in illis domibus defecerint conditiones requisitae ad normam juris<sup>32</sup>.

§9. Dare consensum novam fundendi domum, aut unum monasterium Congregationi incorporandi, ac normam juris<sup>33</sup>.

§10. Erigere domum conditiones habentem in monasterium sui juris vel in abbatiam, servatis de jure servandis<sup>34</sup>.

---

<sup>28</sup> COC 30 et 52

<sup>29</sup> COC 32 c      <sup>31</sup> CIC 616; COC 32 n

<sup>30</sup> CIC 635, 2

<sup>32</sup> COC 25

<sup>34</sup> COC 32 g,h

<sup>33</sup> CIC 610

<sup>35</sup> CIC 616, 3

- §11. Abolere unum monasterium aut illud annectare alio monasterio ad normam juris<sup>35</sup>.  
§12. Ferre decisiones in materia liturgica totam Congregationem tangenti, servatis de jure servandis.  
§13. Abolere abusus in relationibus visitorum notatos.  
§14. Designare vel mutare Patrem immediatum communitatum monachorum aut monialium in Congregatione.  
§15. Approbare normas pro electione delegatorum Congregationis ad Capitulum Generale Ordinis.

**56.**

- §1. Abbas, qui magno impedimento astrictus, ad capitulum Congregationis venire nequit, alium monachum cum jure suffragii deliberativi mittat. Si vero delegatus impeditus sit, respectivum monasterium alium eligat.  
§2. Si quis a patribus capitularibus, propter justas rationes, in quibusdam sessionibus praesens esse nequit, potest delegatum suum constituere quemcumque patrem capitularem, ita tamen ut nullus unquam plusquam duo vota habere possit.

**57.**

Capitulum Congregationis omni biennio celebratur in loco et tempore a capitulo praeterito determinato.

**58.**

A Capitulo Congregationis approbatur specialis Ordo, in quo ritus celebrationis ejusdem et in eo servanda ordinatio describuntur.

***CAPUT SEXTUM***  
**DE VISITATIONE REGULARI**

- 59.** Visitatio regularis bona occasio pro monasterio est ad correctionem exercendam et ad progressionem obtinendam. Visitoris est inquirere de statu generali monasterii tam in spiritualibus quam in temporalibus, atque providere ut disciplinae monasticae honorentur, abbas in veneratione et amore habeatur, et communitas in pace vivat, ita ut visitatio incremento in ideale monasticum inserviat.
- 60.** Abbatis fratrumque hujus domus officium est ut una cum visitatore collaborent ad bonum visitationis effectum afferendum: Omnes religiosi obligatione tenentur eum adeundi et cum libertate exponendi suas cogitationes et observationes in aedificationem domus. Nemini fas est quoquo modo hanc visitationem impedire.
- 61.** Jus et officium visitationem regularem peragendi in Congregatione sic ordinanda sunt:  
§1. Abbas praeses omni triennio Congregationis omnia monasteria visitet.
-

- §2. Pater immediatus omni biennio, domus-filiae visitationem pergat.
- §3. Duo abbates a Capitulo Congregationis designati omni biennio monasterii de Phuoc-Son visitationem regularem faciant salvo jure abbatis generalis<sup>36</sup>.
- §4. Visitationes ita ordinentur inter visitatores competentes ut omni biennio semel tantum fiat pro unaquaque communitate.
- §5. Anno quando abbas generalis vel abbas praeses visitationem regularem alicujus monasterii peragunt, nulla alia visitatio regularis fiat.
- 62.** Cum visitator, qui a jure designatus legitime impeditus sit, unum ex superioribus majoribus in Congregatione ad hanc visitationem faciendam loco suo delegare potest.
- 63.** Visitationis charta in capitulo, communitate praesente, pronuntiari debet, iterum quoque saltem bis in anno, in opportunis occasionibus a superiore domus designatis legatur.
- 64.** Abbas efficacia media quaerat ad exercenda ea quae in charta visitationis nota fuerint.
- 65.** Omnia decreta aut judicia visitoris obtemperari et exerceri ab omnibus debent, eisdem tamen recursus datur ad abbatem praesidem aut ad Capitulum Congregationis.
- 66.** Intra tres menses visitatores relationem de visitatione abbati praesidi aut Capitulo Congregationis pro casu mittant.

### ***PARS TERTIA*** **DE INSTITUTIONE**

- 67** Abbas et qui responsabilitatem de hac re habent, sint specialiter attentissimi ad sodalium institutionem in monasterio. Haec institutio gradatim fiat per periodos: Pro postulantibus, pro novitiis, pro professis a votis temporariis, pro professis a votis solemnibus. Ut tamen efficacius praeparetur institutio liceat Congregationis monasteriis constituere scholam-juvenum ad accipiendos alumnos et instruendos qui respondere voci Dei ad vitam contemplativam velint. Talis schola, si adest, regi debet secundum statuta a Capitulo Congregationis praescripta.

### ***CAPUT PRIMUM*** **DE POSTULATU**

- 68** Congregationis monasteria personas bonae voluntatis Deum quaerendi in vita orationis et sacrificii, semper et libenter accipiunt.
- 69** In monasterium admitti possunt personae, quae:
- §1. Bona intentione, esse pauperes, casti et obedientes volunt, sequentes exemplum Christi.

---

<sup>36</sup> COC 48

§2. Sanitate tam spirituali quam corporali praeditae sunt ad adimplendas vitae monasticae exigentias.

- 70** Adspirans ad vitam monasticam in Congregatione admissioni ad novitiatum praemittit tempus probationis, quo sex menses perdurat et postulatus vocatur. Justa de causa, superior, audito capitulo **consilii abbatis**, contrahere vel prorogare hoc tempus potest, ita ut non sit minus quam tres menses nec plus quam viginti quatuor menses.
- 71** Huic praeviae probationi propositum est tempus ut de aptitudine et vocatione candidati iudicium fiat, et comperiatur quae sit ejus maturitas humana, et si opus sit cognitio litterarum doctrinarumque religiosarum compleatur, denique a vita in saeculo ad vitam religiosam transeat.
- 72** Postulatus habitualiter in domo novitiatus peragitur. Ita exceptiones admitti possunt.

## ***CAPUT SECUNDUM*** **DE NOVITIATU**

- 73** Finis novitiatus est docere novitios omnia praecipua de vita monastica eosque adjuvare ad ducendum in praxim consilia Evangelica juxta Congregationis scopum.
- 74** Magister novitiorum, cujus jus et officium instituendi novitios sunt,  
- Sit annos saltem triginta natus,  
- In sacerdotio constitutus,  
- Decem ab annis professus  
- Et capax ad dirigendas animas<sup>37</sup>.
- 75** Unaquaeque domus sui juris est sedes novitiatus, sed novitii in parte aedificii segregata ab habitatione professorum degunt. Vitam vero communitatis participant et cum licentia magistri novitiorum habere communicationem cum professis quaeunt.
- 76** In novitiatum admittantur postulantes qui habent:  
§1. Annum decimum octavum aetatis,  
§2. Indicia manifestantia se consecrari velle,  
§3. Iudicium rectum,  
§4. Valetudinem tam spiritualem quam corporalem ut regulam communem servare possint, aliis conditionibus de jure servandis servatis<sup>38</sup>.
- 77** Ad abbatem uniuscujusque domus jus admittendi postulantes ad novitiatum pertinet, cum suffragio consultativo capituli consilii abbatis..
- 78** Postulantes antequam novitiatum incipiant, exercitiis spiritualibus vacent per octo dies.
- 79** In admissione novitii ritus praescriptus in Congregatione servetur.
- 80** Novitiorum vestimenta albi coloris. Haec sunt: tunica, scapulare, cingulum.
- 81** Duodecim menses requiruntur ad validitatem novitiatus canonici<sup>39</sup>. "*Absentia a domo novitiatus quae tres menses, sive continuos sive intermissos, superet, novitiatum invalidum reddit. Absentia quae quindecim dies superet, suppleri debet.*" (Can.649,1)

---

<sup>37</sup> CIC 651

<sup>38</sup> CIC 643, 1; 645

Alterum annum in novitiatu novitii peragunt ad ulteriorem formationem. Justa ex causa, abbas cum consensu capituli **consilii abbatis** novitium ad professionem temporariam admittere potest ante expletum annum secundum novitiatus.

### ***CAPUT TERTIUM***

#### **DE PROFESSIONE TEMPORARIA**

**82** Post expletum novitiatum , servatis quoque ad normam juris et Constitutionum servandis (n.24,1), novitius admitti ad professionem votorum temporariorum ad triennium valituram potest .

**83** Post professionem temporariam, professus conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi, non tamen habet administrationem, usum et usufructum eorumdem. Ante professionem novitius debet bonorum suorum administrationem cedere cui maluerit. Ea cessio, si praetermissa fuerit ob defectum bonorum, et haec postea supervenerint, fiat secundum normas supradictas; per dicessum a religione ejusmodi cessio habere vim desinit<sup>40</sup>.

**84** Votis nuncupandis spiritualia exercitia novitius praemittat per decem dies.

**85**

§1. In emittenda professione religiosa servetur praescriptus in Congregatione ritus.

§2. Formula professionis temporariae:

Ego, Fr. *Maria* . . .

Ad respondendum caritati Dei qui me vocare dignatus est, et ad cooperandum saluti omnium qui nondum Deum cognoscunt, promitto **CASTITATEM, PAUPERTATEM et OBOEDIENTIAM** necnon **STABILITATEM** et **CONVERSIONEM MORUM** mearum, secundum Regulam Sancti Patris Benedicti, et Constitutiones Congregationis Cisterciensis Sanctae Familiae, ad triennium, in hoc monasterio B.M.V... fundato in honorem Sanctae Virginis Mariae Deiparae, coram Sanctissima Trinitate, testibus sanctis quorum reliquiae hic habentur, in praesentia R.P....., hujus monasterii abbatis (prioris) et totius communitatis.

*Apud . . . die . . .*

*Subscriptio*

**86** Vestimenta professi a votis temporariis sunt: tunica alba, scapulare nigrum, cingulum nigrum et cappa alba cum caputio.

**87** Professus votorum temporariorum juribus et obligationibus gaudet iisdem ac solemniter professus, exceptis casibus de quibus in Constitutionibus aliter cautum est.

---

<sup>39</sup> CIC 648, 1

<sup>40</sup> CIC 668, 1-3

- 88 Ab abbate committi professo a votis temporariis aliqua negotia ad serviendum communitati possunt, non tamen officium, quod institutioni in hoc periodo obstaculum fieri possit<sup>41</sup>.

### *CAPUT QUARTUM*

#### **DE PROFESSIONE SOLEMNI**

- 89 Exacto professionis temporariae tempore, religiosus petitionem, in scriptis, emittendi vota solemnna cum libertate profert. Jus admittendi ad professionem solemnem pertinet ad abbatem cum consensu capituli **conventualis**. Si adsunt dubia circa idoneitatem candidati, abbas potest prorogare tempus probationis et eum admittere ad renovationem professionis, audito voto capituli **consilii abbatis**. Tempus vero professionis temporariae non superet novennium.

90

§1. Intra sexaginta dies ante professionem solemnem religiosus debet omnibus bonis, quae actu habet, cui maluerit renuntiare. Post solemnem professionem, omnia bona, quae quovis modo adveniunt, regulariter monasterio cedunt<sup>42</sup>.

§2. Exercitia spiritualia per decem dies praemittenda emissioni votorum solemnium.

91

§1. Professio sollempnis juxta ritum praescriptum in Congregatione celebratur.

§2. Formula professionis sollempnis:

Ego, Fr. *Maria* . . .

Ad respondendum caritati Dei qui me vocare dignatus est, et ad cooperandum saluti omnium qui nondum Deum cognoscunt, promitto **CASTITATEM, PAUPERTATEM et OBOEDIENTIAM**, necnon **STABILITATEM** et **CONVERSIONEM MORUM** mearum, secundum Regulam Sancti Patris Benedicti, et Constitutiones Congregationis Cisterciensis Sanctae Familiae, usque ad mortem, in hoc monasterio B.M.V.....fundato in honorem Sanctae Virginis Mariae Deiparae, coram Sanctissima Trinitate, testibus sanctis quorum reliquiae hic habentur, in praesentia R.P. . . , hujus monasterii abbatis (prioris) et totius communitatis.

*Apud. . . die. . .*

*Subscriptio*

- 92 Vestimenta sollempniter professi eadem sunt ac professi temporaliter, sed loco cappae cuculla utitur monachus.

93

§1. Post professionem solemnem, profitens fit membrum pleno jure communitatis;

---

<sup>41</sup> CIC 660, 2

<sup>42</sup> CIC 668, 4

§2. Abbas professionem solemnem excipiens debet profitentis parochum baptismi de eodem certiozem reddere.

## ***CAPUT QUINTUM*** **DE VOTIS**

- 94** Per emissionem votorum ducendi in praxim Evangelica consilia se totum monachus dat ad sequendum Christum et totam vitam consecravit ad Deum colendum et ad Ecclesiae serviendum modo speciali et efficaciori<sup>43</sup>.
- 95** Per PROFESSIONEM VOTI CASTITATIS monachi in coelibatu sponte sua vivunt et obligationes contrahunt perfectam continentiam servandi et effugiendi omnia quae contraria castitati sint, ut Deo animam et corpus totaliter offerant<sup>44</sup>.
- 96** Ut castitatis votum fideliter servant, monachi verbis Domini credant, Dei auxilio confidant, mortificationem ferant, praesertim sensuum et libidinis custodiam adhibeant, media quoque naturalia spiritualiaque ne omittant<sup>45</sup>.
- 97** Abbas et omnes qui officium respectivum habent, attenti sint ad docendum in opportuno tempore religiosos elementa maturitati psychologicae et affectivae eorumdem necessaria, necnon ad promovendum in communitate fraternam caritatem.
- 98** Per VOTUM PAUPERTATIS monachi jus proprietatis, acquisitionis et administrationis bonorum, jus quoque pecunia aut rebus independenter utendi, sponte sua abdicant, ut Deum solum quaerant.
- 99** Pro vita quotidiana, monachi necessaria omnia a superiore accipiant simul quoque conentur ut fiat spiritus paupertatis Christi qui “propter nos egenus factus est”<sup>46</sup>.
- 100** Paupertatem etiam oportet realiter excoli in communitate secundum modum vivendi operariorum. Abbas et officiales in Domino confidant, nec plus gerant sollicitudinem de rebus materialibus, ne parvi pendant salutem animarum.
- 101** Religiosi per OBOEDIENTIAE professionem, spiritu fidei et amoris, sponte sua praecepta abbatis exercent secundum Regulam et Constitutiones sicque plenam propriae voluntatis dedicationem Deo offerunt ut fiat voluntas Patris coelestis<sup>47</sup>.
- 102**
- §1. Nihil praepoentes amori Christi, monachi in auxilio Dei confidendo, omnibus tam spiritualibus quam corporalibus capacitatibus utuntur ad hoc votum complendum.
- §2. Singuli confratres (**sodales**) tenentur Summo Pontifici, tanquam supremo eorum superiori, etiam vi oboedientiae parere<sup>48</sup>.

---

<sup>43</sup> LG n. 4

<sup>44</sup> PC 12

<sup>45</sup> PC 12

<sup>46</sup> RB 33

<sup>47</sup> PC 14

<sup>48</sup> CIC 590, 2



- 103** Abbas, qui vices Christi gerens filios Dei dirigit, voci Sancti Spiritus sit docilis et intelligere fratres quaerat cum amore et sinceritate. Abbas tamen de omnibus judiciis et praeceptis suis rationem reddere debet.
- 104** Per votum STABILITATIS sponte sua religiosi (**monachi**) firmiter statuunt in vita monastica vivere et perseverare usque ad mortem cum fratribus in monasterio in quo professionem emiserunt.
- 105** Justam ob causam, monachus petere mutare stabilitatem potest videlicet ad aliud monasterium, aliam Congregationem aut ad alium Ordinem, haec tamen mutatio fiat ad normam Constitutionum Ordinis et Juris Canonici<sup>49</sup>.
- 106** CONVERSIONIS MORUM tenentur monachi operam dare quotidie progrediendi ad perfectam caritatem per media a Regula et Constitutionibus proposita.

## ***CAPUT SEXTUM***

### **DE VITA COMMUNI**

- 78** Imitantes exemplum primaevae Ecclesiae, monachi vivunt unanimiter, perseverantes in oratione. Bona vero omnia omnibus sunt communia ita ut creatur spiritualis et vera familia secundum Sanctae Familiae exemplum.
- 79** Omnibus est communis modus vivendi : horarium, victus, vestitus, supellex sunt similia. Sed justam ob causam superior moderare potest ut omnia membra monasterii in pace Deo serviant<sup>50</sup>.
- 80** Solemniter professi sive sacerdos sive laicus nuncupantur monachi, temporaliter professi, religiosi, alii fratres “tu-sinh” id est “alumni-religiosi”. Ordo in communitate secundum diem introitus ad novitiatum servatur.
- 110** Sacerdotium non est scopus ad quem prospiciunt monachi, donum tamen speciosum est, quod vitae communitatis indispensabile est, ideoque :
- §1. Abbas simul quoque officiales, fratres capacitatum aut qualitatum et indicii vocationis ad presbyteratum eligant, qui ad hanc dignitatem sacram suscipiendam instituendi atque formandi sint<sup>51</sup>.
- §2. Candidati ad sacerdotium electi, ad normam praescriptam juris canonici vitae monasticae Congregationis accommodatam instituendi sint.

---

<sup>49</sup> COC 27; CIC 684

<sup>50</sup> RB 34

<sup>51</sup> RB 62

§3. Monachi sacerdotes in communitate officium suum exercent secundum abbatis dispositionem. Debent quoque fratribus dare exemplum in caritate, humilitate et spiritu servitii<sup>52</sup>.

### ***CAPUT SEPTIMUM*** **DE EGRESSU E RELIGIONE**

- 111** Postulans non secus ac novitius potest religionem libere deserere, aut ab abbate quavis de causa justa dimitti.
- 112** Professus a votis temporariis, expleto votorum tempore, libere potest religionem deserere<sup>53</sup>. Pariter ob gravem causam petere potest ab abbate praeside cum consensu ejus consilii, ut ad statum saecularem redire possit, et ita de facto a votis temporariis dispensatur.
- 113** Monachi professi dimissio fit secundum canones 694-704:
- §1. Dimittetur, si gravia delicta externa commisit, nec, post monitiones, se emendavit, servatis de jure servandis<sup>54</sup>.
- §2. Statim remitti potest ad saeculum, in casu gravis scandali exterioris vel gravis damni communitati imminentis, servatis de jure servandis<sup>55</sup>.
- §3. Naturaliter excludatur, qui unum commisit ex gravibus delictis, quorum transgressores ipso facto excludendi sint ad normam juris (ibid).
- 114** Receptio illius qui legitime egressus fuerit, et qui reverti desiderat, juxta normam juris canonici agenda est<sup>56</sup>.
- 115** Sodalıs, qui e domo religiosa illegitime abest cum animo sese subducendi a potestate superiorum, sollicitę ab eisdem quaeretur et adjuvetur ut redeat et in sua vocatione perseveret<sup>57</sup>.
- 116**
- §1. De separatione temporanea a Congregatione i.e. de exclaustatione servantur canones 686 et 687.
- §2. De egressu sodalis a Congregatione per dispensationem vero servantur canones 688, 691-693.
- §3. Sodalıs qui ex instituto religioso legitime egrediatur vel ab eo legitime dimissus fuerit, nihil ab eodem repetere potest ob quamlibet operam in eo praestitam. Institutum tamen aequitatem et evangelicam caritatem servet erga sodalem, qui ab eo separatur<sup>58</sup>.

### ***PARS QUARTA***

---

<sup>52</sup> RB 60

<sup>53</sup> CIC 688            <sup>55</sup> CIC 694

<sup>54</sup> CIC 695, 1

<sup>56</sup> CIC 690            <sup>58</sup> CIC 702

<sup>57</sup> CIC 665, 2

**DE GENERE VITAE  
CAPUT PRIMUM  
DE OPERE DEI**

**117** Vita monastica communio est cum mysterio Christi Crucis per quam monachus sacrificium gratiarum actionis ad Dei honorem offert. Quapropter monachus operi Dei nihil praeponat<sup>59</sup>.

**118**

§1. In officio divino, nomine Ecclesiae monachi laudes Deo offerunt atque Ejus praesentiam fide contemplantur<sup>60</sup>.

§2. Credentes ubique divinam esse praesentiam, maxime in hora Officii divini, monachi horas canonicas cum humilitate et gravitate et amore persolvant<sup>61</sup>.

§3. Omnes horae Officii divini a tota communitate in choro persolvantur; celebratio cum cantu vel modo simplici psalmodiae pendet a festis et a dispositione abbatis. Solemniter professi, qui a choro abfuerunt, debent horas canonicas privatim recitare.

§4. Preces, cantus, ritus juxta a Capitulo Congregationis statuta praescripta exercentur.

**119** Missa centrum est ad quod vitae monasticae omnes activitates contrahuntur. Sicque in missae participatione et communione monachi sui immolationem cum Sacrificio Mystico Christi uniunt, ut sub actione Spiritus honorificetur Deus Pater, simulque unio fraterna fiat<sup>62</sup>.

**120** Quotidie omnes sodales missae conventuali intersint. Sacerdotes ad intentionem monasterii missam celebrent.

**121** Praeter officium divinum et missam, vita monastica ex aliis pietatis officiis nutritur, specialiter ex devotione erga Beatam Mariam Virginem: quotidie tertiam partem Rosarii in communi recitamus.

**CAPUT SECUNDUM**

**DE MEDITATIONE,  
EXAMINE CONSCIENTIAE,  
EXERCITIIS SPIRITUALIBUS**

**122** Religiosi, membra Congregationis contemplationi deditae, imbuantur spiritu orationis: bis in die per triginta momenta orationi mentali in loco communi aut alio loco ab abbate determinato incumbant.

---

<sup>59</sup> RB Prol. et 43

<sup>61</sup> RB 19; 47

<sup>60</sup> PC 7; RB 19

<sup>62</sup> PC 7; 15

- 123** Bis in die religiosi aliquot momenta reservent ad conscientiam suam discutiendam, ut sub lumine deifico purificetur.
- 124** Poenitentiae sacramentum animam non solum purgat, sed etiam gratiam fortitudinis ad perfectionem progrediendam auget. Sicque religiosi ad hoc sacramentum frequenter accedant.
- 125** Ex exercitiis spiritualibus renovatur roboratur quoque anima ad proficiendum fortiter in perfectionis via. Ideoque , semel in mense per diem, et quotannis per decem, eisdem religiosi vaceent.

### ***CAPUT TERTIUM***

#### **DE LECTIONE DIVINA**

- 126** Verbum Dei animae contemplativae nutrimentum est. Quotidie religiosi lectioni divinae ad minus per triginta momenta vacent in loco ab abbate determinato. Praeterea religiosi liceat tempora libere quaerere ad investigandum verbum Dei.
- 127** Curet abbas ut sit bibliotheca; eligantur libri et ephemerides, et dirigat ut lectio fructus fratribus afferat.

### ***CAPUT QUARTUM***

#### **DE STUDIIS**

- 128** Studia media religiosi sunt necessaria uti adjumentum ad maturitatem humanam acquirendam doctrinamque christianam. Quapropter per totam vitam religiosi discere sacras Scripturas, theologiam, technicas quoque scientias debent quae vitae religiosae utiles sunt.
- 129** Abbas et officiales, qui officium instituendi habent pro necessitate respectiva programma studiorum sodalibus in monasterio distribuendam praeparent ad normam juris canonici.
- 130** Ad profundius intelligendum de sacris disciplinis quaestiones et ad magis in iisdem progrediendum, curet abbas ut habeantur collationes de materiis ante determinatis. Habeantur sessiones formativae de materiis specializatis quae secundum abbatis iudicium, utiles sunt vitae monasticae.

### ***CAPUT QUINTUM***

#### **DE OPERE MANUUM**

- 131** Opus manuum, suo modo, praesertim in traditione monastica, creationis redemptionisque contributio est. Nostrae Congregationis religiosi Sanctae Familiae

exemplum sequentes, Patres nostros quoque imitantes manibus laborent ad res victui necessarias comparandas et ad conferendum Evangelii progationi adiutorium<sup>63</sup>.

**132** Omnes religiosi praesertim artifices diligenter faciant opera quae disposita sint ab abbate, in spiritu humilitatis et servitii<sup>64</sup>.

**133** Pro necessitate monasterii ab abbate communitati opera ordinentur communiter laboranda.

### ***CAPUT SEXTUM***

#### **DE MORTIFICATIONE**

**134** Abnegatio suiipsius maxime necessaria conditio est ad Christum sequendum. Quapropter religiosus deditus sit ad exercendam abstinentiam, quae veluti medium est in exercitio virtutum progrediendi vitia destruendi, necnon aequilibrium servandi, et caritatem augendi<sup>65</sup>.

**135** Religiosus spiritum mortificationis realiter efficiat in regulariter vivendi modo quotidie, imprimis :

§1. In modo populariter vivendi cum simplici victu sine carne neque vino, neque tabaco.

§2. In observatione jejunii diebus ab Ecclesia indicatis, et sequentibus:

a. Feria sexta quotannis, exceptis tempore Nativitatis, Paschali et festis feriatis.

b. Feria secunda, quarta, sexta quadragesimae, si illae non coincidunt cum festo feriato.

c. Vigiliis Nativitatis, Paschae et Pentecostis necnon Solemnitatum Beatae Mariae Virginis etiam quoque Patrum Fundatorum Ordinis Cisterciensis die vigesima sexta Januari.

§3. Abbas, pro casu, permissum exercendi abstinentiam secundum modum Orientalium dare potest.

**136** Modus jejunandi, secundum dispositionem abbatis et juxta consuetudinem localem, observetur.

### ***CAPUT SEPTIMUM***

#### **DE SOMNO**

**137** Fratres temporibus dormiendi et requiescendi uti debent, ut conserventur vires ad utiliter vivendum in vita religiosa: ad minus sex horis pro somno noctis utantur, et ad meridiem per unam horam quiescant.

**138** Juxta monasticam traditionem fratres bene mane surgant ut Deo laudes offerant<sup>66</sup>.

**139** Religiosi in dormitorio recumbant, sed singuli cubiculum separatum et clausum habent. Lectus, mattae et tegumenta pro temperie et juxta necessitatem valetudinis singulorum distribuuntur.

### ***CAPUT OCTAVAM***

#### **DE SILENTIO**

---

<sup>63</sup> PC 13; RB 48

<sup>64</sup> RB 57

<sup>65</sup> RB 39; 40; 41

<sup>66</sup> RB 8

- 140** Silentium vitae contemplativae indispensabile est. Ideo tota die religiosi in solitudine vivant et silentium observent; praesertim a Completorio usque post Laudes, in casu maxime necessario, liceat aliqua verba tantum loqui<sup>67</sup>.
- 141** Diebus Dominicis et in festis solemnibus commune colloquium circiter per dimidium horae permittitur; non tamen in Quadragesima, excepta occasione extraordinaria.
- 142** Ab abbate potest augeri tempus recreationis fratribus pro necessitate sanitatis tam mentis quam corporis.

***CAPUT NONUM***  
**DE CLAUSURA**

- 143** Ope clausurae religiosi a saeculo separatim vivunt et asservatur solitudo monastica. Abbatis una cum capitulo conventuali est clausurae fines accurate praescribere.
- 144** A religiosis in honore habenda est lex clausurae. Sine abbatis licentia nemo e clausura exit. Absolute non liceat admittere mulieres intra clausuram.

***CAPUT DECIMUM***  
**DE HOSPITIBUS SUSCIPIENDIS**  
**ET EPISTULIS**

- 145** Hospites ad monasterium venientes cum summa attentione suscipiendi sint tamquam Ipse Christus<sup>68</sup>.
- 146** Eligat abbas unum fratrem sapientem, pium, maturum, qui cum fervore hospites accipere sciat eisque cordate servire<sup>69</sup>.
- 147** Cum licentia abbatis, religioso liceat visitatores recipere tempore libero et hora laboris. In casu necessitatis, potest abbas hoc permittere tempore alio.
- 148** Quod attinet ad cibum sumendum cum hospitibus, abbatis iudicii est.
- 149** Extraneos excipere qui ad vacandum exercitiis spiritualibus veniunt, est forma apostolatus in monasterio. Attamen personas alterius sexus recipere ad eundem finem abbatis est, qui prudenter judicet juxta unumquemque casum.
- 150** Religiosis permittitur litteras mittere et recipere. Omnes tamen litterae mittendae sive accipiendae per abbatem transmitti debent; excepto commercio epistolari cum superioribus majoribus respectivis nulli inspectioni obnoxio.

***CAPUT UNDECIMUM***  
**DE FRATRIBUS IN VIA DIRECTIS**

- 151** Separati a saeculo religiosi in monasterio libenter degentes, non foras prodeunt, nisi ex justa ratione et secundum abbatis jussionem<sup>70</sup>.

---

<sup>67</sup> RB 42

<sup>68</sup> RB 53

<sup>69</sup> RB 66

- 152** In itineribus faciendis religiosi deferant proprium habitum suae religionis eundem ac intra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio abbatis.
- 153** Religiosi nostrae Congregationis, pro amore Christi, modum vivendi popularem eligunt ; sicque in itinere debent simpliciter, humiliter et humaniter agere cum omnibus hominibus.

***CAPUT DUODECIMUM***  
**DE FRATRIBUS SENIBUS**

- 154** Vivere usque ad senectutem donum Dei est. Ideoque monachi seniores fideliter vivere vitam consecrationis conentur, expectantes donum contemplationis sperandae.
- 155** Ab omnibus fratribus communitatis habendi sunt senes monachi in veneratione, in patientia et in sincero servitio, juxta senectutis necessitatem.
- 156** Abbas sollicitus sit de fratribus senibus, eosque a lege communi dispenset pro casu necessitatis.

***CAPUT TREDECIMUM***  
**DE INFIRMIS FRATRIBUS**

- 157** Ante omnia et super omnia infirmorum cura cordicitus adhibenda sit, hoc est enim verum servitium Ipso Christo praeditum<sup>71</sup>.
- 158** Eligat abbas fratrem valetudinarium capacem, addictissimum et multum misericordem qui infirmis fratribus serviat<sup>72</sup>.
- 159** Sit cella particularis ad curandos infirmos. Cum exigit necessitas et si possibile est, medicum invitet abbas, aut in nosocomium mittat infirmos.
- 160** Specialiter cum infirmemur, possumus passionibus Christi participare, ut cum Eo conglorificemur. Quare religiosi aegroti cum patientia in amore Dei confidant, nec nimis exigant ne alios contristent.
- 161** Ingravescente morbo, invigilet abbas ut aegroti, tempore opportuno, Sacramenta extrema administrentur.

***CAPUT QUARTUM DECIMUM***  
**DE FRATRIBUS DEFUNCTIS**

---

<sup>70</sup> RB 67

<sup>71</sup> RB 36

<sup>72</sup> RB 36

- 162** Tota vita in monasterio Domino servientes religiosi donum immolationis morte complent, conjuncti Christo, qui mortuus est et resurrexit, ut cum Eo in beatitudinem aeternam perveniant.
- 163** Mox ut defunctus fuerit unus frater, communitas preces vicissim recitent prope defuncti corpus usque dum sepeliatur. A monasterio missa exsequialis et Officium defunctorum pro anima ejus celebrantur. Quam primum nuntium parentibus ejus et toto Ordini mittatur ut pro eo unanimiter orent.
- 164** Obsequiae ejus juxta ritum Congregationis celebrentur.
- 165** Ab unoquoque sacerdote monasterii defuncti tres missae dicantur pro anima ejus, omnes fratres communionis intentionem ter offerant pro eo. Omnes autem ejusdem coenobii ter percurrant viam Crucis, indulgentias applicantes defuncto.
- 166** Trium primorum in die anniversario annorum, communitas missam pro anima defuncti offerat.
- 167** Si religiosus in domo alia Congregationis nostrae obierit, pro eo agendum est ac si illius domus professus esset. Nihilominus autem pro eodem in propria domo agatur, sicut dictum erat supra: 163; 164; 165.
- 168** Si forte frater extra coenobium defunctus fuerit, abbas curet ut serius citius reducatur corpus et sepeliatur in medio fratrum, ita ut, qui in vita commorati sint, etiam in morte non sint separati.
- 169** Cum abbas, qui munere fungens, aut cujus tempus officii exspiraverat, defunctus fuerit, praeter debita pro uno fratre, die trigesimo aut centesimo post obitum, una missa a communitate offeratur.
- 170** Cum Abbas domus matris, Abbas praeses, Abbas generalis, Episcopus loci, Delegatus Apostolicus et Summus Pontifex defuncti fuerint, pro unoquoque missa solemniter celebratur.
- 171** Cum religiosus vel religiosa Congregationis moritur, a qualibet domo missa offeratur et omnes fratres viam Crucis semel percurrant pro eo [ea].
- 172** Erga avium et aviam, patrem et matrem unius fratris defunctos missa solemniter celebrabitur pro unoquoque casu. Pro fratre et ejus uxore, pro sorore et ejus marito defunctis missa dicatur. Pro benefactoribus et familiaribus defunctis, ad iudicium abbatis, pro unoquoque casu missa celebretur aut alia opera bona convenientia beneficiis datis et gratitudini facienda sunt.

## *PARS QUINTA*

### **DE ADMINISTRATIONE**

#### **BONORUM TEMPORALIUM**

- 173** Domus sui juris in Congregatione habet jus et responsabilitatem administrandi bona temporalia secundum praescripta juris Canonici. (Can.634-640).
- 174** Oeconomus, ab abbate nominatus, gerat administrationem bonorum monasterii sub directione abbatis ejusque consilii.
- 175** In domo dependenti, oeconomia organizatur in dependentia a domo-matre usque dum uti domus sui juris recognoscatur.
- 176** Monasteria Congregationis, in gestione bonorum temporalium, retinent monitionem Canonis 640 *“Ratione habita singulorum locorum, testimonium caritatis et paupertatis quasi collectivum reddere satagant et pro viribus ex propriis bonis aliquid conferant ad Ecclesiae necessitatibus et egenorum sustentationi subveniendum”*.



- 177** Ista Constitutiones sunt lex fundamentalis pro vita Congregationis. Quapropter ipsas sincero corde amemus necnon adamussim in executione eas applicemus<sup>73</sup>.
- 178** Quilibet religiosus Congregationis Constitutionum textum habeat ad considerandum et ad studendum. Curet abbas ut semel in anno harum Constitutionum totus textus in occasione exercitiorum spiritualium quotannis publice legatur.
- 179** Monachi qui ad Christum sequendum dediti sunt, passus praecipitantes versus Patriam coelestem, Evangelica consilia in Regula, Constitutionibus et consuetudinibus Congregationis proposita, fideliter conservent.  
Sub Sancti Spiritus inspiratione et intercessione Beatissimae Mariae Virginis Omniumque Sanctorum cum animo hilari monachi beatitudinem contemplandi Sanctissimam Trinitatem, Fontem Felicitatis infinitae exspectant.

**Amen.**

---

<sup>73</sup> cf. CIC 598, 2

**INDEX RERUM**  
**CONSTITUTIONES**  
**CONGREGATIONIS CISTERCIENSIS**  
**SANCTAE FAMILIAE IN VIETNAM**

**DECRETUM**

**INTRODUCTIO**

**PARS PRIMA**

**DE NARURA ET FINE**

(n. 1 – 3) :

**PARS SECUNDA**

**DE STRUCTURA**

- **TITULUS PRIMUS: DE STRUCTURA MONASTERII**
  - *Caput primum* (n. 4 – 19)  
**De Abbate**
  - *Caput secundum* (n. 20 – 22)  
**De capitulo **conventuali****
  - *Caput Tertium* (n. 23 – 29)  
**De **consilio abbatis****
  
- **TITULUS SECUNDUS: DE STRUCTURA CONGREGATIONIS**
  - *Caput primum* (n. 30 – 38):  
**De membris Congregationis**
  - *Caput secundum* (n. 39 – 41):  
**De Domo Matre**
  - *Caput tertium* (n. 42 – 47):  
**De Abbate praeside**
  
  - *Caput quartum* (n. 48 – 52) :  
**De Consilio administrationis**
  - *Caput quintum* (n. 53 – 58) :  
**De Capitulo Congregationis**
  - *Caput sextum* (n. 59 – 66) :  
**De visitatione regulari**

**PARS TERTIA**

**DE INSTITUTIONE**

- *Caput primum* (n. 68 – 72) :  
**De postulatu**
- *Caput secundum* (n. 73 – 81) :

- **De novitiatu**
- *Caput tertium* (n. 82 – 88) :
  - **De professione temporaria**
- *Caput quartum* (n. 89 – 93) :
  - **De professione solemnii**
- *Caput quintum* (n. 94 – 106) :
  - **De votis**
- *Caput sextum* (n. 107 – 110) :
  - **De vita communi**
- *Caput septimum* (n. 111 – 116) :
  - **De egressu e religione.**

## PARS QUARTA

### DE GENERE VITAE

- *Caput primum* (n. 117 – 121) :
  - **De opere Dei**
- *Caput secundum* (n. 122 – 125) :
  - **De meditatione, examine conscientiae, exercitiis spiritualibus**
- *Caput tertium* (n. 126 – 127) :
  - **De lectione divina**
- *Caput quartum* (n. 128 – 130) :
  - **De studiis**
- *Caput quintum* (n. 131 – 133) :
  - **De opere manuum**
- *Caput sextum* (n. 134 – 136) :
  - **De mortificatione**
- *Caput septimum* (n. 137 – 139) :
  - **De somno**
- *Caput octavum* (n. 140 – 142) :
  - **De silentio**
- *Caput nonum* (n. 143 – 144) :
  - **De clausura**
- *Caput decimum* (n. 145 – 150) :
  - **De hospitibus suscipiendis et de epistolis**
- *Caput undecimum* (n. 151 – 153) :
  - **De fratribus in via directis**
- *Caput duodecimum* (n. 154 – 156) :
  - **De fratribus senibus**
- *Caput tredecimum* (n. 157 – 161) :
  - **De infirmis fratribus**
- *Caput quartum decimum* (n. 162 – 172) :
  - **De fratribus defunctis**

## PARS QUINTA

**DE ADMINISTRATIONE  
BONORUM TEMPORALIUM** (n. 173 – 176)

**CONCLUSIO** (n. 177 – 179)

---